

VERSION LATINE

Vanité de l'historiographie profane, utilité de l'hagiographie chrétienne

Plerique mortales, studio et gloriae saeculari inaniter dediti, exinde perennem (ut putabant) memoriam nominis sui quaesierunt, si uitas clarorum uirorum stilo inlustrassent. Quae res utique non perennem quidem, sed aliquantulum tamen conceptae spei fructum adferebat, quia et suam memoriam, licet incassum, propagabant, et, propositis magnorum uirorum exemplis, non parua aemulatio legentibus excitabatur. Sed tamen nihil ad beatam illam aeternamque uitam haec eorum cura pertinuit. Quid enim aut ipsis, occasura cum saeculo¹, scriptorum suorum gloria profuit ? Aut quid posteritas emolumenti tulit, legendo Hectorem pugnantem aut Socraten philosophantem, cum eos non solum imitari stultitia sit, sed non acerrime etiam impugnare dementia — quippe qui, humanam uitam praesentibus tantum actibus aestimantes, spes suas fabulis, animas sepulcris dederint — ? Siquidem ad solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt, cum hominis officium sit perennem potius uitam quam perennem memoriam quaerere, non scribendo aut pugnando uel philosophando, sed pie, sancte religioseque uiuendo. Qui quidem error humanus, litteris traditus, in tantum ualuit ut² multos plane aemulos uel inanis philosophiae uel stultae illius uirtutis inuenerit.

Unde facturus mihi operae pretium uideor, si uitam sanctissimi uiri³, exemplo aliis mox futuram, perscripsero, quo utique ad ueram sapientiam et caelestem militiam diuinamque uirtutem legentes incitabuntur.

Sulpice Sévère, *Vie de saint Martin*

¹ A prendre au sens chrétien du mot.

² *In tantum... ut* = *adeo... ut* (tour postclassique).

³ Il s'agit de saint Martin, « l'apôtre des Gaules » (vers 316-397), dont Sulpice va raconter la vie, après ce prologue.